

**Exercitationem medicam de hemiplegia ... / Christiano Vater ... exhibebit  
A.R. Balth. Meno Hannekenius.**

**Contributors**

Vater, Christian, 1651-1732.

Hanneken, Balthasar Meno, active 1700-1704.

**Publication/Creation**

Vitembergae : Ex officina Christiani Schrödteri, [1700]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/n242f3z4>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Q. D. B. V.

EXERCITATIONEM MEDICAM,

De

# HEMIPILEGIA,

Consentiente

GRATIOSO MEDICORUM ORDINE  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI,

Et

MODERANTE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo atq; Excellentissimo*

**DN. CHRISTIANO VATER,**

Philos. & Med. Doctore, Pathol. Prof. Publ.

celeberrimo, Physico Provinciali Saxonico, nec non

Academ. Naturae Curiosorum Collega

meritissimo,

*Domino Patrono, Praeceptore, ac Promotore suo, nullo  
non tempore, & ad cineres usq; persancte colendo,*

Ad Diem Jun. An. M DCC.

IN MEDICORUM AUDITORIO

Publicae Eruditorum Disquisitioni exhibebit

A. R.

**BALTH. MENO HANNEKENIUS,**

Gissa-Hess.

---

VITEMBERGAE,

Ex Officina CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

OMNI PIETATIS CULTU  
DEVENERANDO,  
PARENTI SUO

DN.

PHILIPPO LUDOVICO  
HANNEKENIO,

Sanct. Theol. Doct. & Profess. Publ.  
Consistoriique Regii & Electoralis  
Assessori &c.

*Salutem & omnia prospera!*

---

# Parens pie devenerande!

**Q**uoniam nullum tempus, nullamque  
occasionem mihi praetermittendam  
esse existimo, qua Tibi, pro innume-  
ris, quae continuo abs te proficiscuntur, benefi-  
ciis, non darem indicium ac argumentum grati  
mei animi: ideo & in praesenti hoc ipsum negli-  
gere religioni omnino mihi duxissem, immo pro  
magno admodum peccato habuissem, ingratus-  
que & injuriosus fuisset in singularem tuam,  
paternamque benevolentiam. Permitte ita-  
que, Venerande Parens, ut observantiae ple-  
nissimum publice nunc declarem erga Te affe-  
ctum, ostendamque, quantam Tibi debeam  
venerationem. Cumque ejusmodi specimi-  
na Academica Patronis imprimis, & a quibus  
omnis felicitas ac fortuna dependet, dicari ac  
inscribi soleant; Tuo quoque nomini, qui  
Patronus mihi optimus maximusque es, cui  
post DEUM O. M. omnia, quae mihi con-

cessa sunt, debeo, hanc ipsam dissertationem,  
ceu grati animi tesseram, sacram esse volui.  
Accipe hoc quaecumque munusculum paterno  
vultu, eoque, quo offertur animo, & quod a  
meo ingenio habet leve, id favore tuo pensa,  
meque tuo benevolentiae sinu ulterius fove.  
Immortale Numen, quod indefinentibus nullo  
non tempore defatigabo precibus, Te servet  
sospitem salvumque, ab omnibus liberet in-  
commodis, atque ad seros annos, & Ecclesiae  
& literariae Reipublicae incolumem conservet,  
Vale. Dabam Vitembergae D. Jun.  
A. O. R. M DCC.

Venerandi Parentis

*Obsequentissimus Filius*

B. M. Hannekenius.



## PRAEFAMEN.

**R**Es omnino ardua, & minus explorata est, quomodo plures ad eo morbi per dimidium corporis saepius ludant, adeo, ut unicum tantum ejus latus ad perpendicularium affligatur graviter, altero dimidiato corpore plane immuni, & prorsus salvo; cum tamen sanguis & reliqui succi aequali conatu & sine delectu totum corpus, singulasque partes diluvio suo rigent, iisque vitam & vigorem aequaliter tribuant. Potest quidem partium diversarum, & in iis vasorum circumstantium textura a variis admodum causis tam internis, quam externis seorsim immutari, ut innoxiiis quidem succis, eorundemque impulsu aequali, eosdem tamen non rite admittant, & transmittant, quin potius remorando solum, aut novi aliquid ab extra admittendo variam ipsis labem affricent, morbumque ipsis concilient; quemadmodum ejusmodi texturam vitiosam sive formationis vitio, sive aliunde ab injuriis externis e. g. vulneribus, contusionibus,

luxationibus, refrigerationibus, aliisque alterationibus extrinsecis factam, omnino motus humorum ibidem turbatur, & in capite hemicraniam, spasmus cynicum, paralyfin, aeqve ac in aliis partibus separatis dolores, stupores, convulsiones, exulcerationes inducere toto die videmus. Ast quomodo frigoris calorisque sensus, immo scabies & vario- lae dimidiatum tantum corporis latus velut ad amuffim occupare, & distingvere perpendiculariter possit, cujusmodi exempla Eruditissimus *Pechlinus Lib. II. obs. LIV.* annotavit, exinde nondum aeqve patet. Ita quoque licet aequalem nervorum in utrumque latus divisionem & distributionem non ignoremus, ut ex particulari illorum vitio etiam particula- res tremores, spasmi, & paralyfes contingere que- ant; tamen quando totius corporis latus ad perpen- diculum, a capite ad calcem, Epilepsia, vel Hemiple- gia afficitur, cujusmodi Aegrum, cujus membra omnia, caput, oculi, lingua, brachia, pedes, immo testiculi dimidio sui, eoqve ad libellam sumto ob- riguerunt, sensu motuque destituta, non solum a Cl. Pechlino l. c. allatum, sed ab Excell. Praeside non- ita pridem curatum esse novi; id sane ulteriori dis- quisitione dignum esse judico, eaque ratio est, qua- re Affectum hunc gravissimum speciminis Acade- mici loco pro ingenii viribus penitus disquirere, mecum constitui. Faxit, qui nutu suo potest, ut in ipsius gloriam, langventiumque salutem succe- dat.

## THESIS I.

**M**agna quidem adhuc sensuum sunt mysteria, & sensibus ipsis non raro fallimur, nihilo tamen secius seculi nostri felicitate, summaque scrutantium industria eo tandem pervenimus, ut remotis jam facultatibus, aliisque terminis nihil significantibus, potius clarissime videamus, quod omnis sensatio in homine nihil aliud sit, quam certus motus spiritus, vel succi animalis elastici, intra organa sensoria ab objectis corporeis tangentibus impressus, indeque per eadem organa ad cerebrum usque traductus, ibidemque demum ab anima humana perceptus, ut adeo ad veram sensationem tria potissimum requirantur: *Attactus nimirum, seu impulsus Organi sensorii, a corporibus sensibilibus, i. e. crassioribus & ad movenda organa ista aptis. Nulla enim, nisi corporum, datur sensatio, neque etiam ulla corpora aliter, quam solo attactu agere queunt. Et quoniam organa ista sensoria accuratiori anatome ita disposita esse novimus, ut ubicunque ab objectis corporeis attinguntur, illorum quoque nervi, & in his succus spirituosus, seu spiritus animales inclusi moveantur, fieri aliter non potest, quam ut motus iste per eosdem nervos, & mediante isto spiritu ad cerebri medullium, unde illi oriuntur, continuetur, & propagetur, immo ibidem quoque reflectatur & repetatur; unde demum mens humana ad percipiendum illud objectum excitatur, in qua etiam perceptione & cognitione vera &*

per-



perfecta sensationis ratio consistit, & citra quam, si esset, nihil nisi merum laborem haberet. Sentire nihil aliud est, quam agere & cognoscere istas motiones, quae a rebus sensibilibus Organismis sunt impressae; Et nemo vere sentit, nisi se sentire sentiat, de quibus prolixius *vid. Excell. Dn. Praesidis Physiol. de Sensibus. Cap. IV.*

### THESIS II.

Rationibus pariter ac experimentis jam ratum, confirmatumque habemus motiones animales quas-cunque nulla alia ratione fieri, quam quando fibrae partium movendarum, exquisitissima mechanica contextae, per vices a succo eodem spirituofo, & elastico, e cerebro per nervos plus minus influente, vel premente, modo inflantur, modo relaxantur, consequenter extremitates earum versus medium, seu centrum suum modo contrahuntur, modo extenduntur rursus; utpote in quo fundamentum omnis motionis reperitur. Hinc enim omnes partes motioni animali destinatas, membranas nempe & musculos, e congerie fibrarum tubulosarum, ad ejusmodi inflationes & extensiones aptissimarum, constare deprehendimus: Hinc etiam tubuli & vesiculae istae flaccidae semper, & lateribus suis connivere videntur, quando muscoli otiantur; distenduntur vero, & insigniter rigescunt, ut figuram fere ovalem, annulis catenae similem acquirant, quando operantur & contrahuntur. De quibus rursus plura habentur apud *Excell. Dn. Praesidem l. c. de Motibus Animalibus. Bohn. Circul. Ana-*

tom. Vieussens Neurographia Universal. Craan de Homine.  
Alpb. Borell. de Motu Animalis, &c.

### THES. III.

Atque haec affinitas motionum, sensuumque animalium etiam in causa est, quod utriusque communiter conjunctim laedantur, sive depraventur in convulsionibus, contracturis, doloribus; sive imminuantur, vel aboleantur prorsus in stupore, paralyfi, hemiplegia, vel apoplexia: De Hemiplegia hac vice erimus solliciti, quae nihil aliud est, quam sensus motusque animalis in universi corporis, a capite ad calcem usque, dimidiato latere abolitio, a succi animalis in nervos istius lateris, horumque propagines influxu inhibito dependens.

### THES. IV.

Idem est, ac si dixeris Apoplexiam, sed in dimidio tantum corpore, vel alterutro corporis latere, quam alii quoque semisiderationem & ἡμιπληγίαν, ἀπὸ τῆς πληγῆς, vel τῆς πληξέως appellitant, a subitanea & improvisa omnium sensuum & motionum animalium in universo corpore dimidiato ablatione, qua, veluti a sideribus & fulmine tacti, aegri sensu motuque, eo, quo tanguntur latere, privantur. De quibus videbis Joban. Anton. van der Linden in Hippocrat. de Vitu Acut. Text. XXXVIII. Quamvis alii ex Veteribus iterum in his discrimen faciant, illam ad particularem, hanc vero totalem apoplexiam referentes, notante Galeno L. 3. Prorrhbet. 4. 26 & alibi; sufficit tamen, quod hic aequae ac in Apoplexia ipsa motiones & sensationes animales non imminuantur solum, sed in totum in-

hibeantur & aboleantur, tamen in unico tantum corporis latere, quo ipso ab aliis analogis affectibus facile dignoscitur.

*THES. V.*

Ex eo nimirum dignoscitur, quando unicum & dimidiatum corporis latus a capite ad calcem & ad perpendicularum omni sensu, non tactu solum, sed etiam visu, auditu, gustu, & olfactu destituitur, adeo, ut oculus istius lateris imminuatur, concidat, nihilque videat; auris ab ea parte non audiat, neque nasus olfaciat, aut lingua gustet. Membra insuper singula caput, oculi, lingua, brachia; jam etiam infra coles & pedes dimidio sui, eoque exacte, & ad libellam sumto, obriescunt, motu & calore vitali ex parte destituta. Interdum etiam apoplexiae signa, nempe vertigo, capitis gravitas, somnolentia, tremor & difficultas sensus motusque illarum antecedunt partium. Neque tamen opus est, ut abolitio motionum istarum subito semper, quin etiam gradatim ingruat; saepe licet nullis aequae ac apoplexia indicibus se prodatur, quandoquidem subitaneae quoque cerebri, nervorumque laesiones huic malo fabricando sufficiunt, uti e causarum serie postmodum patebit.

*THES. VI.*

Hisque ipsis nihilominus ab omnibus aliis analogis & affinibus morbis facili negotio discernitur: Equidem in Apoplexia perfecta, uti notum, partes omnes utriusque lateris, etiam capitis partibus non exceptis, sensu motuque privantur: Paralysis vero  
tantum

tantum partes quasdam occupat, neque utrumque; semper tollit, sed integro adhuc sensu tactus, saepe motum tantum animale, & versa vice, salvo motu, sensum potius aufert: Quemadmodum Paraplegia nostro potissimum iudicio dicenda, quando in una, alterave corporis parte sensus motusque penitus destruantur, & cessant.

*THESIS VII.*

Sed mirum profecto est, quomodo fieri possit, quod universi corporis medietas, cujus tamen omnes utriusque lateris partes, non aequali solum humorum commercio, sed etiam tota substantia, vicinitate & connexionione intime consentiunt, sensu & motu privetur; altera vero medietas utrumque praestet. Cujus tamen justae proportionis ratio nemini, nisi ex anatomia intelligenti constabit, aequalem ubivis nervorum divisionem, & a cerebro, medullaque spinali in utrumque corporis latus distributionem reperiri, ut adeo alterius, & dimidiatae partis vitio, succus ille spirituosus & elasticus, a cerebro ad omnes corporis partes aequali rivulo, sensibus ac motibus istis destinatus, sufficienter influere nequeat. Quemadmodum enim primarium, & praecipuum sensorium cerebrum erat, quando spiritus animalis nervis, organisque sensoriis quibuscunque inclusus ab objectis commovetur, impellitur, idemque impulsus, per eosdem nervos ad cerebri medullam, unde omnes oriuntur, continuatur, & propagatur, ex quo deinde mens nostra ibidem, tamquam in folio suo residens, ad percipiendas istas motiones, ab objectis

ctis inductas, excitatur. Et motus quoque animales peraguntur omnes, quatenus sanguis, continuo circulari impetu per cerebrum trajectus, succum istum subtiliorem, ac elasticum in nervorum tubulos, ibidem oriundos, consequenter in omnes fibras, vesiculasque musculorum membranarumque, impellit, ipseque succus aereus & elasticus tubulis istis inclusus, vi conatus expandendi, organa ista motoria continuo premit, distendit, & ad motiones quascunque disponit; Ita quoque sedem laesionum harum, & in specie hemiplegiae primariam non nisi in cerebro ac cerebello, a quo nimirum principium sensuum motionumque omnium emanat, quaerendam esse, ultro liquet; tamen in quamquam ejus parte potissima mali causa haereat, non aequae facile determinare licet, unde etiam fit, quod Medicorum alii cum Hippocrate atque Galeno cerebri ventriculos, alii claustrum ejus solum interius, callosum nimirum corpus, nervorumque thalamum; alii medullasam ejus substantiam potius; alii rursus medullae potius spinalis principium; quidam etiam arterias carotides internas, ejusque plexus interiores subjectum praecipuum constituent.

### THESIS. VIII.

Verum enim vero qui cerebri, ac cerebelli compagem universam nonnisi e congerie, & contextu exilissimorum tubulorum nerveorum constare cognovit, ubi fibrae nerveae omnes e centro & basi ipsius cerebri, tanquam ex trunco & caudice arboris egressae, & per universam cerebri, cerebellique com-

compagem distributae, non solum omnem medullarem eorum constituunt substantiam, sed etiam secundum sinus & ventriculos flectuntur, in via uniuntur, & variis modis conjunguntur, donec demum laciniatis fimbriis corticem versus ad arteriarum extremitates, veluti totidem canaliculi nervei, desinunt, ut succum, ab arteriolis ibidem mirifice contortis & complicatis jugi impetu secretum, immediate hauriant, & in nervos continuatos derivent; Ille etiam facile judicabit, sedem, uti apoplexiae totalis & perfectae primariam, non praecise in una, sed tota cerebri cerebellique medullosa parte; sic quoque hemiplegiae nostrae in alterutro ejus latere quaerendam esse, ita tamen, ut canaliculi isti nervei modo in principio, & ipsa cerebri cortice, modo in medulla, vel etiam in basi ejus, ubi demum in fasciculos, nervosque formales coeunt, magis afficiantur; uti e causarum serie paulo post constabit.

*THESIS. IX.*

Quoniam tamen hemiplegia hoc speciale habet, quod unico tantum corporis lateri, eiqve integro, a capite ad calcaneum usque sensum motumque adimat, altero dimidio prorsus illaeso ac salvo; ideoque etiam in eadem non utriusque, sed unius tantum lateris nervos affici ratio ipsa svadet. Sciendum igitur hic rursus ex anatome, fibras quidem cerebri medullares a peripheria corticali basin versus in fasciculos, & in unicum tantum truncum, quem spinalem medullam, aut potius cerebrum ipsum prolongatum non incommode appellant Anatomici, coire; Eadem tamen lege, ut

fibrae ab eadem medulla per totam longitudinem ad ejus latera in tot nervorum paria excurrant, & non geminis solum, sed singulis corporis partibus gemini quoque nervi, pro sensu motuque exercendo absolute necessarii, tribuantur. Ideo duplicem nervum opticum, oculorum motorium, auditorium, olfactorium, gustatorium, linguae motorium, & sic in reliquis universi corporis partibus deprehendimus, procul dubio, ut alter alteri adjumento sit; quemadmodum quoque in geminis partibus quaelibet alterius vices pro necessitate subire debet.

*THES. X.*

Sed notatu adhuc dignum, nervos cujuscunque lateris origines suas alterutro etiam cerebri, cerebellique hemisphaerio debere, & quod praecipuum, fibras e dextro cerebri hemisphaerio oriundas, circa basin in sinistri lateris nervos, & versa vice, e sinistro hemisphaerio ortas, in nervos dextri abire, ita quidem, ut licet fibrosi isti & medullares cerebri tractus in via vario modo inter se uniantur ac implicentur, circa truncum tamen se invicem intersecent, & sic e dextro hemisphaerio orti, nervos sinistri lateris, & contra, e sinistro dextri lateris nervos constituent. Id quod jam tum *Cassius, Aretaeus, Prosper. Martianus, Caesalpinus*, & post eos plures animadverterunt Recentiores; unde accuratissimus cerebri nervorumque scrutator *Vieussens Neurographiae univers. L. I. C. XIX. p. m. 220.* Spiritum, inquit, omnem animale in cortice cerebri stricte sumti productum partim ad ovale centrum, & partim ad tractus medullares transversos & non-

nonnihil obliquos deferri necessum est; cum medullares omnes, quas subit, fibrillae partim in praedictum ovale centrum, & partim in tractus medullares transversos & nonnihil obliquos definant. Et celeberrimus Anatomicus *Fredericus Ruyschius Epistol. Anatom. Problem. de Cerebri Substantia p. 25.* Reperi, ait, tractus medullares exteriores caudicis spinalis medullae transversim esse sitos, (sicuti in corpore globofo innuit Cl. Vieussens) sub eo vero densissima serie repunt recti, secundum ejusdem longitudinem expositi, ita ut tractus medullares exteriores cruciatim interfecent tractus medullares transversi. In dissectione vero vulgari hae fibrae, seu tractus medullares transversi nemini occurrent, ea propter etiam in Anatomicorum figuris haut reperies, an vero ita per totam spinalem medullam continuent, nec ne, nondum satis exploratum habeo.

### THESIS. XI.

Atque in hac demum nervorum structura omne fundamentum quaerendum esse existimo, quare in gravioribus cerebri laesionibus oppositi & sani lateris partes inferiores potius convulsionibus, paralyfi, vel etiam hemiplegia in specie tententur, uti e sequentibus pluribus exemplis patebit. Quamvis etiam in uno eodemque latere laeso eadem symptomata producantur, quando, quod antea monuimus, spirituum in nervos influxus non in eorum principio solum, sed tramitibus etiam obstructis, compressis, vel ruptis impediri potest; quemadmodum canales quicumque in medio aequae, ac in principio obstructi, ulteriorem liquorum



quorum contentorum transitum nullo modo permittunt.

*THES. XII.*

Causa namque proxima uti apoplexiae, ita quoque hemiplegiae nulla alia est, quam succi animalis spirituosi in nervos istius lateris influxus ac emanatio prorsus inhibita atque sufflaminata, aut saltem adeo imminuta, & intercepta, ut spiritus iste motibus sensibusque amplius peragendis sufficere nullo modo queat: Soli enim liquidi nervei influxui motus omnes sensusque deberi, jam supra notavimus, unde eodem solo ablato, easdem quoque functiones immediate, & semper aboleri necesse est: Sic, posita causa proxima, & immediata, ponitur, eaque sublata, tollitur effectus.

*THES. XIII.*

Sed interceptionis ac inhibitionis illius nimis multae reperiuntur causae, quas omnes, ut in compendio videamus, distinguere licebit in internas, & externas, easque in proximiores, remotiores & remotissimas: Ex internis modo humores solum, modo fibrarum pori tubulique magis, aut nervi ipsi, modo utriusque simul in culpa sunt. Faciunt igitur huc prae caeteris vitia ipsius seri, aut lymphae intra cerebrum, ex arteriolarum osculis immediate in nervorum tubulos transcolandae. Latex namque ille, uti constat, purissimus, subtilissimus, & fluidissimus esse debebat, qui tamen si nimia visciditate, crassitie, impuritate, austeritate, aut sola copia peccat, non potest,

potest, quin exilissimos alias tubulos porulosque istos obstruat, constringat, atque inundet, adeoque sui ipsius intercludat aditum atque influxum. Hinc sane apoplexia, hemiplexia, & paralyfes senibus, phlegmaticis atque cachecticis maxime deprehenduntur familiares. Et ex his demortuorum capita, si aperiantur, cerebrum saepissime nimio glutinoso ac impuro latice refertum reperitur, uti videre licet ap. *Marcell. Donat. L. 2. Histor. Med. Mirabil. Horstium Observ. Anatom. Schenkium Observ. & Bonetum Sepulchret.*

THES. XIV.

Idem malum inducit saepius ipse sanguis, five in canalibus suis intra cerebrum adhuc restitans, five plane eorum limites transiens, indeque non secessum & secretionem solum liquidi nervei necessario impediens, sed etiam nervorum origines ac tramites, in quacunqve cerebri parte haerentes, comprimens & obstruens. Ideo toties a sanguine intra cerebrum effuso, aut solum in circuitu suo ibidem impedito, uti fit in sugillationibus, vel inflammationibus cerebri, apoplexias, multo magis hemiplegias oriri observantur, & post mortem oculari inspectione in cadaveribus cognoscuntur, de quibus exempla consignarunt *Wepferus Hist. Apopl. Tom 1. 2. & 3. Schenkus Obs. Med. L. 1. Forestus de Cerebri Morbis. Fernelius L. 2. de Abditis Rerum Causis. Cap. 15. Plater. L. 1. Obs. Schneider. de Graviss. Cap. Morb. L. 2. Tulpius L. 1. C. 7. Borell. C. 2. Obs. 34. Cibifflet. Obs. IV. & seq. Bonet. in Sepulchreto. &c.* In specie *Wepferus l. c. Hist. 2.* mulieris cujusdam meminit, totius finistri lateris hemiplegia primum, deinde totali apoplexia

plexia correptae, in cuius aperto cranio nulla prorsus alia causa, quam sanguis in dextro cerebri hemisphaerio repertus.

THES. XV.

Immo etiam abscessus & ulcera intra cerebrum, vel meninges solum, eodem modo secretionem succi nervei non raro intercipiunt, nervorumque tubulos, & tramites erodunt & destruunt, ut nullus per eodem liquidi transitus ibidem concedi amplius possit. Ita miles XXVII. annorum apud *Scultetum Obs. Chirurg. XIX.* in posteriore capitis parte sauciatus cum laesione occipitis XX. a vulnere die totius dextri lateris paralyti seu hemiplexia correptus, & die XXIII. demum fati cedebat, in cuius aperti cerebri latere sinistro abscessus magnus proprio folliculo circumseptus reperiatur, ex quo pus foetidum magna effluxit quantitate, in vicinis autem partibus, dextro imprimis hemisphaerio, nullum vel inflammationis, vel corruptionis signum, praeter finistram cerebri ventriculum aliquantulum compressum, dextrum vero minime depressum, sed aqua limpida potius distentum, apparebat. Pariter in cadavere famulae XXIII. annos natae, quae ab onere gravissimo capiti imposito rupturam aliquam manifeste intra cranium perceperat, indeque septimo demum circiter mense, post perceptam ruptionem & fragorem sub onere, sensu motuque quoad totum finistram latus privata, cerebri portionem dextram potissimum turbido sero perfusam, & in ea insuper abscessum, ovi gallinacei magnitudinem aequantem, invenit *Bonetus;*  
uti

uti testatur *Anatom. Pract. L. 1. Sect. XV. Obs. IV.* Ibidem quoque *Obs. XXVI.* meminit Pueri, qui ex vulnere in ossis frontis sinistra parte XL. die in alterius lateris resolutionem incidit, tertiaque post mortuus cerebrum exhibuit ulceratum, & cancro, ut ipse loquitur, affectum: Et alius adhuc, cui ex sinistra & superiore capitis parte laesa universum latus dextrum resolutum, post mortem meninx sinistra parte livens, cum substrata cerebri parte sphacelo correpta, genuinam hemiplegiae causam manifestavit. Quemadmodum etiam in illo, qui apud *Forestum Lib. X. Cap. XI.* ex lethargo dextri lateris hemiplexiam contraxerat, cerebellum putridum plane visum fuit.

### THES. XVI.

Neque dubium est quin etiam a spirituum animalium, vel quod idem est, liquidi spirituosi & elastici nervorum inopia ac defectu, absorptione vel dissipatione idem malum nostrum oriatur saepius, ea tamen non sola & nuda, sed cum vitio reliquorum humorum vasorumque conjuncta; alias enim istorum *ἐκλυσις*, lipothymiam & syncopen potius induceret. Ita omnino toto experimur die, quod valedudinarii diuturnis confecti morbis, senes decrepiti, & similes, in quibus, ob caloris nativi defectum, viscerumque omnium tonum debilitatum & flaccidum, digestiones nimis langvent, & fere deficiunt, ad paralyses, hemiplexias, immo apoplexias admodum proclives sint, uti sequentes causae remotiores illustrabunt.

## THES. XVII.

Multo magis vero cerebri, vasorumque ipsius vitio, & culpa etiam sola fieri potest, quod succi & spiritus animales, alias naturaliter satis, & bene constituti transitum motumque in iis legitimum ac debitum invenire nequeant, sive vitium istud a formationis errore, sive etiam injuriis externis, cerebri commotione, & subsidentia ab ictu, lapsu, sono fortiori, aliisque, licet absque humorum egressu, vel alio pendeat, uti contingit iis, qui alias sani ex ejusmodi injuriis saepe apoplexia corripuntur, ac moriuntur, in quorum tamen cerebro nulla vasorum ruptio, nulla humorum extravasatio, aut aliud vitium apprehenditur, de quibus exempla videantur, apud *Wepferum, Bonetum Anatom. Pract.* & alios.

## THES. XVIII.

Atque adeo ex his, plures alias causas huc quoque facere, liquet, quaecumque modis hactenus dictis cerebro ejusdemque nervis, aut horum succo, aut utriusque vim tantum inferre, eoque ipso spirituum in organa sensoria motoriaque influxum intercipere apta nata sunt, sive sint e rebus naturalibus, non naturalibus, aut praeternaturalibus. Ita e naturalibus imprimis temperamentum, ut vocant, phlegmaticum, seu serosum magis ac frigidum cerebro nervisque minus favet, propterea quod serum excedens ipsorum poros inundat, fibras & latera nimium laxat, partes quoque spirituosas & elasticas obruit, atque confundit: Amant spiritus siccitatem & caliditatem magis, ut  
vim

vim impellendi, dilatandi ac constringendi eo melius exercere queant. Immo etiam homines *ἐπιπληθικοί*, seu plethorici subinde hemiplegia, vel apoplexia ex levi etiam causa, ira e. g. vel alia corripuntur, eo quod sanguis in his vasorum limites intra cerebrum facile egrediatur, aut solum replendo ac distendendo nimium vasa sua, nervorumque initia simul premat ac obstruat. Notabilia de his exempla habent *Timaeus L. 6. C. 2. Obs. Thom. Bartholinus C. 2. Epistol. 2. Forestus L. 10. Obs. 70.* Aetas vero senilis teste jam *Hippocrate nostro III. Aphor. 31. § VI. Aphor. 57.* apoplexiae terax est, eaque propterea inter morbos senum ibidem refertur, quoniam hac aetate, ex nativi caloris defectu, digestiones omnes, imprimis animales langvescunt, viscerum vasorumque tonus flaccescit, indeque serum balsamicum spirituosum deficit, ex adverso vero crudum abundat.

### THES. XIX.

Ex non naturalibus vero huc pertinent aer humidus & frigidus, autumnalis, hyemalis, aequilonaris, & occidentalis, qui non obstruendo solum corporum poros, sed & humores condensando ac coagulando, circulum & transpirationem eorum impediendo malo huic fores aperit. Teste jam *Hippocrate III. Aphor. 16. § 23* & confirmante *Hollerio in Hippocr. Commentar. p. 712. Forest. L. 10. Obs. 70. Zacut. Lusitan. L. III. Med. Princ. Histor. p. 565.* Ex sola capitis refrigeratione subitanea, a capitis lotionem, puellam apoplexia correptam, quae postea in lateris sinistri hemiplegiam desit, meminit *Amatus Lusitanus Cent. 1. Cur. 36.* Quamvis etiam aer fervidus nimis ac aestuans sanguinis

motum nimium augendo, indeque ejus egressum, vel solum nimiam resolutionem inducendo huc facere queat, de quo notabile exemplum habet *Schenck. L. 1. Observ. 1. de Apopl.* Eodem modo nocent alimenta nimis frigida, cruda, viscosa, acida, itemque nimis calida, fermentabilia, aut nimia quantitate, tempore & modo indecenti ingesta; unde ebriosis toties apoplexia, vel ad minimum paralyfi corripuntur, uti videre licet apud *Fonsecam L. II. Conf. 89. Forest. L. 10. Obs. 69.* quin & post immoderatum vini potum apoplexiam primum ortam, sed non ita multo post in hemiplegiam linguae & dextri lateris desinentem observavit *Piso de Serosa Colluvie p. 88.* Et *Henricus ab Heer Obs. 18.* non immerito accusat septentrionales, quod gulae & commestationibus nimium indulgeant, & inde apoplexiis corripantur. Sic somnus immodicus diurnus, & quies nimia hic nocent, humorum motum ac transpirationem inhibendo, indeque cruditates cumulando, & digestiones secretionesque naturales intercipiendo; quam in rem Pastorem quendam *Wepfer. l. c.* allegat, qui a prandio somno nimium indulgens tandem apoplecticus concidit. Quo ipso tamen nec motiones, aut vigilae immoderatae commendantur, utpote quibus non minus spiritus imprimis animales absumuntur valde, dissipantur, digestiones turbantur, & sic multis modis malo nostro ansa praebetur: Idem praestant nimiae curae, aliaque animi pathemata graviora; unde ab ira potissimum & terrore varias apoplexiae species ortas videre licet apud *Forest. l. c. Obs. 70. & L. 19. Obs. 75. Hildan. C. 6.*

Obs.

*Obs. 12.* Ex nimio gaudio, *Hoffman. Instit. Medicar. C. 27. 1.* Conspirant hic nimiae, & intermissae plane evacuationes sive etae; illae, quod succum praecipuum balsamicum & spirituosum simul subtrahant, totumque corpus enervent, hae vero impuritates accumulent, eaeque efficiant, ut alibi in corpore, imprimis cerebro, subtilioribus prae caeteris visceribus, vasculis & porulis, texturaque teneriori & molliori praedito, decumbant, stagnent, aut erumpant: Ideo a nimia venere apoplexiam ortam annotarunt *Platearus L. 1. Prax. Henricus ab Heer Obs. 9. & 18. Bonet. Medic. Sept. P. 1. p. 165.* Ex suppressa narium & uteri haemorrhagia *Hildan. C. 3. Obs. 11. & 12. Fontan. L. 1. Curat. & Respons. p. 25.*

### THES. XX.

Sed restant adhuc plures res praeternaturales, morbi scilicet, & causae morbificae variae symbolum suum huc conferentes. Sic apoplexiae totalis aequae ac partialis a cerebri commotione, ictu, lapsu, vulneribus, & inde sanguinis vel feri in cerebro extravasatione, coagulatione, exulceratione oriundae mentionem jam antea fecimus: De caetero etiam notum est, quod soporosi affectus, carus, coma & lethargus saepius, uti in totalem apoplexiam, ita quoque partialem transeant; causa nimirum intimius nervorum tubulos ingrediente, obstruente, omnemque succi nervosi transitum inhibente. Talem hemiplegiam dextri lateris ex lethargo ortam annotavit *Forestus l. c.* Pariter Epilepsia tandem in paralyfin & apoplexiam definit, quando nerveus cerebri succus tandem



tandem penitus vappescit, tonus fibrarum ipsarum flaccescit, nervorumque pori penitus concidunt. Deinde a scabie, serpigine, variolis, aliisque ulceribus intempestive occlusis, minusque recte curatis ejusmodi mala non raro oriuntur, propterea quod ichor in sanguine exuperans, nec ibidem amplius exitum inveniens, occasione quacunque data, intra cerebrum decumbit. A fumis & mercurialibus medicamentis & similibus, quando inducuntur, tunc seri colliqvatio ac resolutio potissimum accusanda; quemadmodum ex adverso vaporosa narcotica coagulando potius, inviscando, porosque cerebri replendo eundem effectum producant; uti etiam fit a carbonum & nicotianae fumo largius hausto, de quo exempla habent *Barbettus Prax. L. 1. C. 1. § Deckerus Commentar. p. m. 30.* Duos, inquit hic, vidi inter nicotianae usum factos apoplecticos qui errhinis vix excitari poterant; in utroque etiam Venae sectio fuit celebrata, quia illorum pulsus vix ac ne vix quidem observabatur; unde conclusi sanguinem vix circulari aut moveri. Post venae sectionem vero major & major reddebatur, pulsus, unde uterque paraplegia jam laborat. *Hagendornius Cent. I. Histor. XXVIII.* ex usu repellentium in podagra hemiplegiam ortam observavit, quam tamen remotis istis refrigerantibus medicamentis, & e contrario nervinis resolventibus applicatis ex tempore curavit. Unde manifeste liqvet scorbuticum serum, ob denegatam in pedibus transpirationem magis condensatum, cerebrum versus decubuisse, quae dubio procul etiam ratio fuit, quando in Illustrissimae

Personae filio duorum annorum ex disuria, & ischuria in altero latere epilepsia, altero hemiplegia fiebat, referente *Boneto in Medicin. Septentr. P. II, ex Ephemerid.*

THES. XXI.

Hisque omnibus jam praesuppositis cuivis facile constabit, quot, quamque variis modis etiam hemiplegia ipsa inter se differat; modo ratione subjectorum radicalium, modo causarum, graduum, complicationum cum aliis symptomatibus, aliarumque circumstantiarum; unde omnino alia vera & perfecta, alia adhuc imperfecta, vel spuria, simplex vel complicata, in alterutro latere totalis, vel partialis existit; eaque rursus a causis tam variis internis, vel externis magis, iisque modo cum obstructione, compressione, vel omnimoda tramitum nervearum in cerebro destructione, sive in primis principiis, corticali nimirum cerebri parte, sive in progressu potius & medullari cerebri substantia, aut in ipsius basi, circa nervorum concursus, factis: Quae omnia accuratissime sane observanda sunt & pernoscenda a Medico, ut quid boni malive sperari, quibusque remediis cuivis laedenti obviam iri possit, ipsi pateat.

THES. XXII.

Namque pro subjectorum, causarum, complicationum, aliarumque circumstantiarum varietate, gravitate & levitate prognosin quoque formare decet Medicum: Prognosis non temere, sed juxta *Hippocratis consilium Prorrhbet. Sect. III. T. V.* instituta, pruden-

ter agit, & non nisi ponderatis omnibus circumstantiis, causis, subjectis, aegri ac morbi viribus quicquam de salutis ac mortis signis pronunciat. Subductis vero rationibus istis iudicium est in promptu, hemiplegiam quo & gravior, perfecta, & universalis magis est, eo quoque curatu difficiliorem esse, & contra: Ita curatu difficiliorem, aut incurabilem prorsus pronunciamus hemiplegiam universalem ac perfectam, inveteratam & altas jam agentem radices, a causis per se gravioribus, aut incurabilibus e. c. Apoplexia, lethargo, caro, commotionibus, vulneribus, aliisque gravioribus cerebri laesionibus, a morbis item chronicis, cachexiis totalibus oriundam. Res pariter male se habet, ubi partes hemiplegia tactae jam contabescere incipiunt, aliaque gravia suspectaque symptomata, lipothymiae, convulsiones in partibus reliquis, stupiditas, memoriaeque defectus, extremorum refrigeratio &c. superincidunt. Ex adverso vero melius sperare licet, si malum recens, minusque perfectum, homines juniores, aut consistentis aetatis a causis levioribus internis, vel externis e. g. cerebri commotione, extrinseca refrigeratione, luxatione, catarrhis & similibus oritur, & caetera quoque fuerint paria. Sic febris tremorve supervenientes pro salutari habentur signo, si plura signa bona conspirant; exinde enim morbificam causam cum sanguine moveri, & succi in nervos influxum redire concluditur.

*THES. XXIII.*

Ita quod ad eventus tempus attinet, sciendum,  
hemi-

hemiplegiam quidem morbum esse gravissimum & periculosum, per se tamen minus acutum, sed chronicum, nec prima, bima, trima die, vel septimana, ut Jctorum phrasi utar, terminari, sed per plures menses, immo annos durare, imprimis si ab antecedente soporoso affectu, lethargo, caro, vel apoplexia oriatur; Ibi enim gravior cerebri nervorumque laesio, ex humorum inundatione & inviscatione, aliisque vehementioribus causis praesumitur, citius vero a levioribus causis, in subjectis robustioribus, indutam curari posse, quilibet intelliget, & per se patet.

*THES. XXIV.*

Quod si de eventus modis judicandum; scire interest eosdem rursus pro causarum, subjectorum, aliarumque circumstantiarum diversitate oppido variare: Solvitur quidem in genere & salutariter sufficientibus causae morbificae evacuationibus e.g. Diarrhaea, diarrisi, vel etiam critico ptyalismo, quando scilicet a phlegmatis copia, & copioso ejus secessu oritur: per haemorrhagias vero narium, ani, vel uteri, quando aut copia, aut stagnatio, aut eruptio in culpa. Ita interdum fit, quod natura scorbuticas acido-salfas impuritates, mali hujus auctores, per cutis exanthemata ac ulcera rejiciat. De febre jam antea monui, quod eadem superveniente non raro solvi possit, uti apoplexia totalis, ita multo magis partialis, propterea quod per febriles motus humorum omnium, succi etiam in nervis, & quibuscunque intimis latibulis moventur, ac in circulum rediguntur, si caetera fuerint paria. Motus autem fortiores, & quales fiunt in febribus acu-

tis, requiruntur; reliqui v. in febribus chronicis aut lentis non facile sufficiunt. Pariter si hemiplegiae convulsiones in eadem superveniant parte, aut eam comitentur, videndum, utrum criticae sint, aut symptomatae; namque non semper sequitur, tremorem & convulsionem apoplexiae, vel paralyfi supervenientem esse bonam, sed excessivam saepius humorum acrimoniam morborumq; complicationem potius significat. Alias quoque imperfecte solvitur non raro, transeundo in paralyfin partialem; Mortem vero infallibiliter praedicunt, carus, lethargus, apoplexia, sudores colliquativi, membrorum tabescentia atque refrigeratio, & similia.

*THES. XXV.*

Atque sic quae gravissimi morbi hujus indole, causis, differentiis, & signis satis perspectis apparet, omnem medendi rationem in eo consistere, ut spiritus animalis in nervos influxus quibuscunque etiam modis restituatur, influxus ac emanationis hujus causae non proximiores solum, sed & remotiores removeantur, concurrentia aut imminetia symptomata mitigentur atque praecaveantur, & demum quoque vires & viscera, cerebrum imprimis & artus, corroborentur; idque quibus remediis impetrari possit, ac debeat, nunc ex ordine videbimus.

*THES. XXVI.*

E chirurgico fonte primum se sistit Venae sectio, praecipuum certe ac generosissimum hic quoque remedium, ubi sc. sanguinis copia, turgescencia, eruptio, aut stagnatio intra cerebrum, uti saepissime fit, atque

que ex antea allatis causis abunde patet, subesse videtur; ubicunque igitur haec adfuerint, nec alia contraindicantia obstiterint, quocunque tempore & loco convenienti adhibenda, eaque pro virium aliarumque circumstantiarum ratione satis larga, aut pro necessitate repetita, utpote qua sanguis in vasis & cerebri plexibus turgescens, resistans, & coagulationem, vel plane corruptionem moliens, subito & omnium optime depletur ac ventilatur, eoque ipso cerebri nervorumque ipsorum obstructio, compressio, inflammatio & corruptio, quae singula inter proximiores hemiplegiae causas vidimus, praecavetur, aut mitigatur & corrigitur: Quemadmodum etiam, nisi infallibiles contra venae sectionis osiores sufficiunt rationes, felicissimi successus in apoplexia, sive totali, sive partiali observati toto die testantur, partim quoque legi possunt apud *Zacut. Lusitan. Prax. Admirand. & Med. Princip. L. 1. & 2. Wepfer. de Apopl. Tulp. L. 1. Obs. Hildan. C. 3. Obs. Nymman. de Apopl. Bonet. Med. Septentr. P. II L. VII. & alios.* Exinde tamen remedium tam generosum non promiscue commendamus, quin potius cum Romano Hippocrate pronunciamus, venae missionem aut liberare, aut occidere aegrum, nisi scilicet praesuppositis & satis cognitis indicantibus istis, adhibita fuerit. Consentimus quoque *Henrico ab Heer*, qui *observ. 18.* prudenter monet, quod nostrates, qui plerique ingluvie ac commestationibus apoplexias fere incurrunt, phlebotomia vix curentur, eamque propterea dubium in his affectibus remedium vocat, quo adhibito vix centesimus evadat.

## THES. XXVII.

Venae sectionis vicem scarificatae supplere possunt cucurbitulae, quibus aequae turgescens ac abundans sanguis depletur, ventilatur, & a stagnatione, corruptioneque praeservatur. Si quoque a variolis, scabie, aliisque externis, ac intempestive occlusis ulceribus hemiplegia ortum ducit, uti antea vidimus, dubium non est, quin evacuatione hac etiam naturae, ut ad corporis ambitum rejiciat impuritates, fores aperiantur. Alias quoque siccae cucurbitulae, ventosae dictae, vertici, nuchae, aliisque applicatae partibus, poros ibidem rarefaciendo ac expandendo, sanguinis ferique motum exteriora versus magis derivant, atque sic, ne humores ejusmodi limites suos transeant, & cerebri nervorumque obruant poros, praecavent. Hinc *Crato Consil. 36. seq. Forestus L. 10. obs. 76. Schenk. L. 1. Obs. Sennert. L. 1. C. d. Apopl. Henricus ab Heer Obs. 21. Timaeus L. 1. Cas. 13. Willisius d. Apopl. p. m. 123.* aliique propria edocti experientia ejusmodi remedium pro summo hoc in morbo secreto habent: Et illud etiam innuere videbatur Fracastorius, cum inter prandendum apoplectico correptus paroxysmo, indeque, amissa statim loquela, manum vertici imponeret, sed ab iis, qui tum temporis erant praesentes, non intellectus periit.

## THES. XXVIII.

Sed praesentiozem adhuc opem praestant Vesicatoria, ubi quidem seri copia, eaque cerebrum versus rueret, aut collecta ibidem percipitur: Etsi enim talia affe-

ctam

Etiam partem non attingant proxime, neque immediate laedentem causam tollere valeant, sale tamen suo volatili & acri cutis poros penetrant, sanguinemque per vasa cutanea, quae carotidum ac jugularium propagines maximam partem sunt, accedentem fundunt, sicque idoneam feri copiam eliciunt, quae deinceps adhaerens, cutem elevando, vesiculas producit. Sicque non modo feri crebriorem ad partem affectam adventum inhibent, sed ansam simul praebent, ut aut discuti, quod reliquum ibi haeret, aut etiam sanguini, sero depurato, reaffundi possit, quin etiam fibrillas oscillorum in cutaneis capillaribus ita afficiunt, ut commode illa subingredi queat, de quo apprime testatur urinae ardor a cantharidum applicatione saepe ortus. Applicantur autem talismodi commodissime nuchae, vel etiam capillis denudatae occipitis regioni. Hisque rite adhibitis, cauteriis actualibus non opus esse judico, nisi forte totalis immineat apoplexia, nec reliqua omnia sufficere videantur.

*THES. XXIX.*

Fonticuli eodem quidem modo cum vesicatoriis, sed segnius operantur, ideoque praeservationis potius, quam curationis gratia phlegmaticis, cachecticis, atque scorbuticis commendantur. Etsi enim, tanquam ulcera artificialia nutritioni destinata lympham quoque evacuent, sufficit tamen, quod aequae morbosam permixtam, atque vesicatoria, successive imminuant, & ab extravasatione in loco minus convenienti praeservent. Ita mitiorem ad minimum causam reddunt, moramque, ut alia quoque remedia

dia



dia accersi queant, concedunt, id quod aegris a medicis nimium remotis, aut etiam medicamenta averfantibus, immo hisce non sufficientibus, necessarium maxime ac proficuum esse existimo.

*THES. XXX.*

Pertinent & huc partium affectarum frictiones & vellicationes, ad humorum motum in illis excitandum, circulumque ad exteriora promovendum, five illa frictio fiat mediantibus asperioribus calidisque pannis, five urticis, spiculis suis rigidis cutem profundius vellicantibus. Ligaturas plus noxae, quam commodi adferre hoc in malo judico, propterea quod motum circulumque humorum magis turbant ac intercipiunt, de quo *vid. Sylvius Prax. L. 1. §. 99. seq.* Neque trepanatione hic erit opus, nisi forte, a capitis contusione, aut vulneratione sanguis, pus, aut ipsum cranium ejusque ramenta cerebrum nervorumque principia premant ac obstruant, nulla alia ratione auferenda; ubi autem maxima opus prudentia ac circumspectione, ne praeter necessitatem, aut etiam indicantibus minus certis & dubiis, aut in rebus desperatis instituat, & sic remedii, alias satis tuti, effectus contemptui exponatur.

*THES. XXXI.*

Generosa non minus remedia habentur quoque e pharmaceutico fonte, ea tamen rursus secundum causarum, aliarumque circumstantiarum ductum eligenda: Ita si cacochymia phlegmatica, serosa & acida, vel falsa in culpa est, praestant omnino laxantia atque

atque purgantia sive per os, sive per anum exhibita, eaque pro causae gravitate & copia plus minus fortia, atque per vices repetita, utpote quibus primae viae non ab impuritatibus solum liberantur, sed reliquis quoque humoribus exitus paratur, ne tanto versus partem affectam impetu ruere queant. Cui fini sufficiunt praeparata e chialappa, agarico, scammonio, rhabarbaro, mechoacanna, elleboro, colocynthide, Gummi guttae, mercurio dulci &c. nec non clysteres acres. Quae singula alias satis nota, & in pluribus aliis morbis, imprimis soporosis, usitata, modo observetur hic, ne aegri corpus partibus adhuc salutaribus & spirituosis simul privetur, quin potius interpositis semper alterantibus & confortantibus, aut purgantibus ipsis sociatis conserventur ac augeantur, id quod dubio procul non observatum fuit, quando, observante *Solenandro*, & ex eo *Tbonero*, multi uno in latere resoluti, seu paraplectici in principio, fortioribus exhibitis purgantibus, etiam in altero latere paralyti affecti, tandemque extincti fuerunt.

THESES. XXXII.

Neque in minori usu vomitoria sunt, quando hemiplectici ventriculus, primaeque viae vitiosa scament saburra, & malo huic fomitem, aut augmentum solum & robur suppeditant. Ea enim humores viscidos prae caeteris, acidos & austeros efficaciter fundunt, liquant, motibusque spasmodicis inventriculo concitatis, non ex eo solum, sed vicinis quoque partibus, immo cerebro ipso excutiunt atque proliciunt, quo nomine excellunt imprimis mercurius

E

vitae,

vitae, tartarus emeticus, crocus metallorum, & sal vitrioli, quod a *Riverio Lib. 1. Prax. C. 2.* qui ter intra biennium virum nobilem apoplecticum solo hoc remedio se curasse affirmat; nec non *Langio Miscellan. Cur. p. 11. 12. Ettmüller. Prax. C. X. & seq.* aliisque magnopere commendatur atque laudatur.

THESES. XXXII.

Errhina & Ptarmica, praemissis quidem universalibus magis adhibenda, quae serum pariter in capitulis latibulis fundunt, nariumque membranas in spasmodicos motus concitando, istud exteriora versus eliciunt, quo ipso, ne intimius versus cerebrum ipsum penetrare possit, praecavent, aut, si ibidem jam collectum, hic tamen exitum quoque invenire queat, efficiunt. Immo quoque salivam moventia huc faciunt, utpote qua saepius sua sponte & critice, lympham nimirum crassa ac viscida hac via excreta purgataque, ejusmodi morbi solvuntur, observante *Barbett. d. Apopl. p. 20. & Decker. Commentar.* Ea autem non semper mercurialia sint necesse est, nisi forte nimia & maligna humorum visciditas ac aciditas, a lue venerea, vel simili subesse videatur, cujusmodi exempla habent *Rhodus C. 1. obs. 34. & Bonet. Sepulcbret. L. 1. Sect. XV. obs. XVII.* Eaque tamen non nisi praemissis aliis cacochymiam potiore tollentibus, purgantibus, sudoriferis atque alterantibus, & visceribus adhuc integris adhibenda. Alias etiam, praeter volatilia salia interne exhibita, sufficiunt masticatoria & apophlegmatifantia externa, ori ac linguae applicata e. g. Radix imperatoriae, pyrethri, levistici, Sem. cardamom., cubebar. Spiritus salis

salis ammoniaci, serpilli, lavendulae, apoplectici & similia, quorum beneficio multum saepe viscidae materiae per os excernitur, de quo vid. *Deckerus l.c.* Circa quorum tamen usum pariter observandum, ne promiscue omnibus hemiplecticis, neque, nisi praemissis praemittendis, & parcius exhibeatur, ne corpore adhuc nimis impuro, aut humoribus, intra cerebrum rupturam ac exitum molientibus, his ipsis erumpendi ibidem praebetur occasio.

*THES. XXXIV.*

Sed ante omnia etiam allaborandum est, ut sanguinis ac reliquorum humorum vitia, quaecunque etiam sint, & inter hemiplegiae causas reperiantur, remediis alterantibus, & spirituosum imprimis nerveum succum restituentibus corrigantur. Ita si cacochymia phlegmatica seu serosa frigida, uti communiter fieri solet, in culpa est, prae omnibus aliis ejusmodi alterantia, quae humorum, imprimis succi animalis vigorem motumque pristinum reddunt, simulque obstructas, compressas, aut distortas ejus vias quocunque modo expediunt, ac viscerum omnium tonum corroborant, per universum morbi decursum, a principio ad usque solutionem, diligenter ac prudenter continuanda. Quo fine maxime laudanda, & continuo Practicorum usu comprobata imprimis sunt omnia volatilia urinosa, aromatica, vel mixta, & ex his praeparata, externe pariter atque interne adhibenda e.g. Aquae spirituosae, ant-apoplecticae, hungarica, serpilli, lavendulae, lilior. convall., formicar.; Anglica, balsamus aglicus dicta, balsam.

vitae Schroeder. & Excell. Praefidis. Spiritus & salia volatilia,  $\Theta$ \*ci, CC. f. & succin. eboris, bezoard. B.  $\square$ , lumbricorum, sal volatile oleosum Sylvii, Flor. \*ci; Effentiae & Extracta, castorei, succini, ambrae, cephalica D. Mich. Olea & balsama rutae, anthos, majoranae, lavendulae, castorei volat., succin., macis, NM.; Species diambrae, diamosch. diaxyloal. aromatic. Tragaeae ex mastiche, thure, cubebis, cardamom, NM., Mace, & similibus.

*THES. XXXV.*

Quod si vero intemperies & cacochymia scorbutica, acida, vel falsa magis esse videtur, his ipsis quoque selecta & usitata alia antiscorbutica, imprimis lignorum decocta ac infusa, Radicis chinae, poeoniae, helenii, cariophyllat., ireos florentinae, polypodii quern. Herbae Thee, chamaedrios, chamepyth., cochleariae, salviae, rorismarin. serpilli, melissae &c. nec non praeparata e cinnabari, succino, ebore, coralliis, pulvere cephalico Mich. Marchion. absorbent. & cachect. Excell. D. Praefidis & similia. Pariter si ceceabri commotio, aut vulneratio, inflammatio, succique nutritii in toto corpore defectus, aliaque mala ansam huic morbo dederint, singulis quoque istis debita & selecta remedia rite apponere noverit prudens ac peritus Medicus.

*THES. XXXVI.*

Sudorifera & Diuretica jam inter alterantia habentur, & quoniam viscidos ac acidos corrigunt humores,

mores, subsistentes in motum cient, & superfluos discutunt, ideoque, suadentibus indicantibus, omnino per vices interponenda sudatio aut diuresis, quocunque natura inclinare videbitur, modo caveatur, ne sero jam deficiente, aut secessum moliente instituat; talis enim sudor, teste non solum Coo, sed quotidiana quoque experientia in ejusmodi morbis est lethalis: Tutior quidem est diuresis, qua non raro paralyfin solutam expertus loquitur *Hippocrates Coac. l. 4. Sect. 2. Aphor. 35.*

### THES. XXXVII.

De topicis vero adhuc monendum, quod, nisi penetrantissima fuerint, particulasque prorsus solutas obtinuerint, parum, vel nihil in insultibus apoplecticis efficiant. Hinc etiam certum est, quod spiritus & liquores urinosi volatiles efficere non valent, neque balsama, multo minus unguenta & emplastra id effectura esse, nisi simul emolliendi ac humectandi intentio sit, quo nomine omnino non olea stillatilia solum, piperis, caryophyllorum, macis, juniperi, rutae, anthos, polychrest. & balsamum nervin. Exc. D. Praefidis, succini, therebinthinae &c. sed etiam infusa, ruthæ, castorei, costi, nardi, lumbricorum, unguentum martiat. nervin. & similia exusu hic esse judico; neque metuendum, quod cutis poros obstruant, atque diaphorifin impediant, modo volatilibus rite temperentur & misceantur. Id tamen adhuc maxime observandum, prout etiam olim *Galenus L. IV. Loc. Affect. C. 5.* monuit, ne topica ista tam partibus resolutis, quam medullæ spinalis regioni, tamquam nervo-

rum principio adhibeantur, ut spirituum influxum e fonte ipso ac origine eo facilius promovere queant.

*THES. XXXVIII.*

Inter externa ista praeterea commendari maxime merentur fomenta atque balnea e nervinis & pargoricis, e. g. Rad. jreos flor. Poeon. valerian. Herb. majoran. organ. rutae, salviae, rorismarin. chamoem. rom. item speciebus pro balneo paralytico *Mynsichti* & *Stockeri* non inelegantibus &c. parata. Ea enim vel ob solum actualem calorem & evaporationes blandas intimius & citius penetrant, poros laxant, humores in iis digerunt, & in liberiolem motum redigunt; Mediantibus quibus fomentis, cum sacculis in vino coctis & occipiti raso applicatis, Excell. Dn. Praesidem in viro nobili, ultra anni dimidium apoplectico, & a Medicis jam derelicto, mira praestitisse, eidemque integram sanitatem restituisse vidi. Ex ejusmodi confortantibus & resolventibus etiam fieri possunt & debent balnea artificialia, praemissis quidem praemitendis, & corpore prius satis purgato, exhibita, quae eo praesentius & efficacius totum corpus fovent, atque ubivis humorum motum & transpirationem liberiolem reddunt, non obstante, quod illi nobili ap. *Hildanum L. 5. obs. 13.* ob indecentem usum res male cesserit. In talismodi balneis, quibus praeterea animalia varia, nempe canes, hirundines, formicas &c. injecerunt, celeberrimum Medicum Italum *Burrbum*, & famosum illum Chirurgum Craneburgensem, de *Fay* dictum, in curandis paralyticis & apoplecticis in-

credi-

credibiles successus habuisse, refert *Dolaeus Encyclopaed. Practic. L. 1. C. XI.* quibus etiam experientiam ac assensum suum addit *D. Schulzius in Ephemerid. Germ. A. III.*

## THES. IXL.

Eundem quoque effectum saepius praestant balnea naturalia, seu Thermae, quae non invictos solum aliis medicamentis morbos, sed etiam contrarios, uti loquitur *Henricus ab Heer*, non raro curant atque solvunt. In rem nostram recens exemplum refert *Bonet. Med. Septentr. P. II. L. VII. Sect. XVIII.* de Dn. Girardo des Bergeries, annos sexaginta sex nato, qui natura surdus ac mutus in hemiplegiam incidit anno 1683. adeo gravem, ut stipitis instar jaceret: consanguinei, qui curationis compendium quaerebant, ad Thermas Aquenses, Camberiaci, Sabaudiae metropoli proximas, ablegarunt. Rhedae imponitur aeger, & adstat vir robustus qui nutantem retineret, sed post XV. dierum in thermis moram sanitatem integram acquisivit, ut utroque pede & brachio prorsus valeret. Cujusmodi exempla in. referunt *Charleton. de scorbuto* in thermis apud Bathonienses, in agro Sommerlettenfi, & *Dolaeus* a Citesio apud Pictavienses observata. Quamvis tamen etiam in his cautelis opus sit, ne, ut antea monui, promiscue omnibus, sed suppositis certis indicantibus, nec praesentibus aliis contra indicantibus, empyrice, uti saepe fieri solet, commendentur, de quo legi meretur *Willisus de Paralys. & Apoplexia.*

THES.



## THES. XL.

Possẽm nunc quoque aliarum adhuc causarum, a quibus hemiplegia non raro producitur, diversorumque symptomatum rationem & curam habere, sed quoniam haec Medico cuivis, rerum morborumque perito, aliunde constare possunt & debent, mihiq̃ brevem jam esse placet, ideoque operi huic colophonem imponam, unum vel alterum adjungens verbum de victus vitaeque ratione. Ea autem rursus ratione diversorum subjectorum, causarum, aliarumque circumstantiarum non aequalem omnibus, sed diversam maxime commendandam esse per se patet, & quoniam nostrates ex ingluvie & commestationibus potissimum apoplexias incurrere supra notatum est, ideoque, ut ab his ante omnia sibi maxime caveant aegri, monendi imprimis sunt. Pariter vitanda ipsis sunt alimenta crassa, cruda, viscida, flatulenta, acida, muria, vel fumo condita, aer nebulosus, frigidus, somnus nimius & diurnus, animi pathemata graviora, & omnia quaecunque malo huic ansam quocunque modo praebere antea inter causas notata sunt.

S. D. G.

